

Zb

2007



MAGNI POLYHISTORIS
**CHRISTIANI FRIDE-
RICI FRANCKENSTEINII,**
L.L.&HISTORIARUM P.P.

Academiae Decemviri, Alumnorum Electo-
ralium Ephori, Majoris Principum Collegii Collegiati, &
Facultatis Philosophicae Senioris,

**MEMBRI QVONDAM SUI, POST FAUTORIS
& EVERGETÆ,**

PER TRISTEM SIBI OBITUM


SUB IPSIS EXEQVIARUM CEREMONIIS
D. X. NOV. ANNO M. DC. LXXIX.
RITE PERACTIS,

Hoc ultimo honoris cultu
prosequatur

**COLLEGIUM CONCIONATORIUM
MAJUS.**



**LIPSIÆ,
LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI**



Rande mihi sed triste melos moestosq̄ve susurros
Calliope, & dignum tanto dic funere carmen.
Ille, ævi & nostrino nultima gloria Pindi,
Omnigenas quondam dotes cui maxima Pal-
las
Indidit, & rerum celeres pernoscere cursus,
Temporis & veteris fuerit quæ gesta statusq̄ve.
Dignus Nestoris ævo &, FRANCKENSTEINIUS, annis;
Ille, suis quondam quem magna Academia gnatis
Præposuit dignum exemplum autoremq̄ve laborum,
Queis iter æthereas Sophies aperitur ad arces;
Ille suis Matri curis spectatus & arte,
Ingenio, nulliq̄ve fide & virtute secundus
Occidit, heu! moestoq̄ve infert sua dona sepulchro.

Viderat hunc quondam celebris cui turba Sophorum
Sancta est, ac causas Dea quæ scrutatur & ortus
Rerum, & quæ cœcâ natura involvit abyssio;
Viderat hunc doctis juvenem impallescere chartis
A pueroq̄ve suis fumare altaria donis,
Atq̄ve hic, dixit, erit, celebris quem Lipsia quondam
Ingenio & nostrâ ingentem mirabitur arte.

Me quoq̄ve tunc coluit sanctæ quæ serva Cathedræ
Nympha meos gnatos & sanctis educo templis:
Et lis sæpe mihi cum pulchrâ exorta sorore est,
Hunc sibi cum totum Sophie penitusq̄ve sacrandum
Posceret, & sanctæ hunc peterem mihi conscia ivadæ.

Hæc tandem illa Salæ dirumpit jurgia Princeps
Non sale tam celebris quam magni Saxonis aulâ,
Et meus, inquit, erit, gnatos teneramq̄ve juventam

Dum

Dum reget atque mei charissima pignora tractus.
Nec mora, nempe vocant Superi, sequiturque vocantes,
Et subit optatus Dux Præceptorque Lycæum.

Nec tamen hæc sedes stabiles certasque laborum
Signarat metas rerum suprema Potestas,
Ad majora dies Te, Fili, & fata vocabant.
Invidet, & gnatum revocat poscitque sororem
Lipsia, quemque sibi genuit, quin rite reposit?
Illa, licet mæsto, patitur discedere, vultu,
Atque subire onus hoc magis est quod viribus aptum.
Heu mihi quam lætâ huic redeunti occurrere fronte
Novimus, & Gnati amplexus exposcere Matrem!
Ergo jubet Latio quondam quæ lingua decusque
Fulserit eloqvii quæque ævo effecta vetusto
Aque ipso mundi firmato cardine longam
Et seriem & varios fatorum evolvere flexus.

Cætera quid memorem concredita munera Nostro
Atque Almæ Matris spectantes commoda curas?
Aut quos Elector magnus nostro educat ævo,
Spem Patriæ, Ipsius studio crevisse fideque?
Aut mihi quid referam servatum rite favorem
Propensique animi fotos constantius ignes.
Sunt mihi sunt etiam tanti monumenta favoris
Nunc luctus monumenta mei & lacrumabile munus!

Quin tamen hæc tacito potius sub pectore condo?
Collige Musa fides, quid enim juvat ista fuisse?
Si medio nos fata jubent discedere campo
Et queis claruimus mundo mors surripit artes.
Quid juvat omne animo mundi transcurrere tempus,
Regnorumque ortus humiles ferosque nepotes,
Perque tot eximias regnando secula gentes?
Nos quoque si ruimus? nos & si mobile tempus
Abripit atque suas trahit hinc quoque Clotho sub umbras?

Ast sic fata volunt, sic, quod regit omnia, Numen,
Stamina quod vitæ ducit nexusque dierum
Dirigit & firmo sepsit tua tempora claustro.

Scilicet

Scilicet huic Pietas tacitum submittere luctum
Incitat & querulâ pellit suspiria mente.
Quin etiam quæ facta Virum laudanda per orbem
Fama refert, Te posse mori, Vir magnè, recusat,
Dum per vasta tuas resonabit tempora laudes.
Illa igitur nostros paulum mirata dolores
Ad tumulum delata tuum has in marmore voces
Sculpit, & hoc nostros solatur carmine luctus:

Hic situs est Plissæ laus Franckensteinus in-
gens

Corpore; coelum animam servat, laudemque

Nepotes:

Fletu tolle leves tumuloque applaude Viator.





MAGNI POLYHISTORIS
CHRISTIANI FRIDERICI
FRANCKEN

L. L. & HISTORIARUM
Academiae Decemviri, Alu
ralium Ephori, Majoris Principum C
Facultatis Philosophicae

MEMBRI QVONDAM SUI,
& EVERGET

PER TRISTEM SIBI
SUB IPSIS EXEQVIARUM
D. X. NOV. ANNO M. I
RITE PERACTIS,

Hoc ultimo honoris
prosequeretur

COLLEGIUM CONC
MAJUS.



LIPSIAE,
LITERIS CHRISTIANI

